

ab hac 59. toties relinquatur, quoties prædicta vnitas per aliam, denominationem traducta fuerit, quæ in termino ad quem, si graduum locum transferit, eo semper, si autem in situ graduum fuerit finita 30. solummodo repræsentabit, in his vt præfertur stantibus, omnes figuræ inferiores à suprapositis auferantur, residuo tamen semper loco suo remanente. Nec ab operatione illa vacandum erit, donec singuli numeratores denominationum quarumcunque à subtilissima inchoando ad vsque grossissimam, inclusiuè suprapositis fuerint delati, & consummabitur tota hæc species. Vnico tamen illo non ignorato, quòd quòdquocunque numerus inferior à superiori subtrahi non potest, propter defectum signorum illius à quo subtractio fieri debet, tunc integra reuolutio, quæ ex 12. signis constat, reuocetur toties, quoties operatio requirit, fiatque subtractio modo præfacto. &c. Cùm autem duplatio nihil aliud sit, quàm alicuius numeri bina acceptio. Mediatio etiã alicuius numeri medietatis inuentio, quæ ex iam habitis speciebus abunde lucescunt, igitur de eisdem specialior operatio hîc non expectatur.

De Multiplicatione.

Multiplicare denique minutias quas cunque per alias, in proposito nihil aliud est, quàm quatuor constituere numeros proportionales. Quorum primus in physicis est integrum, vel integra puta gradus, secundus multiplicans, tertius multiplicandus, quartus verò proueniens ex ductu vnus per alium, producti nomen sibi vendicat. In quacunque etenim proportione habet se integrum ad multiplicantem, in eadem & multiplicandus ad illud, quod excrecit. Verbi gratia, sicut vnus gradus habet se ad 6. minuta multiplicantis in decupla proportione, ita triginta minuta multiplicandi ad tria minuta producti in eadem decupla proportione. Et scias hoc generale totius operationis, quòd ex tali ductura vnus per aliam minutiam semper productum subtiliori denominatione proueniet.

Regulæ Multiplicationis.

Sequentibus igitur regulis tota multiplicatio prout nostro sufficit proposito perficitur. Prima, si gradus fuerint multiplicati per gradus, gradus cum signis produci viderentur, si numerus producti ad hoc sufficeret. Secunda, si minutiam quancunque multiplicaueris per gradus, hæc ipsa minutis proueniet cum grossioris denominationis minutia, immediatè sequentis, vt multiplicando gradus per minuta, prouenient minuta cum gradibus. Si gradus per secunda multiplicaueris, secunda cum minutis produces. Si gradus per tertia multiplicentur, tertia ipsa cum secundis prodibunt &c. Tertia, quando cunque minutiam vnã multiplices per alteram, proueniet minutia denominata à numero què denominatores multiplicantis & multiplicandi simul additi constitu-